

Georg Detharding

Programma Quo Studium Anatomicum A Chymicorum Insultibus Vindicat, & insimul Ad Anatomiam In Subjecto Foeminino publice habendam Magnificum Dn. Rectorem, Omnes omnium Ordinum Cives Academicos, & quotquot huic Studio favent ea qua decet humanitate

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1723]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1933126809>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA
Quo
STUDII ANATOMICUM
A CHYMICORUM INSULTIBUS
VINDICAT,
& infimul
AD
ANATOMIAM
IN
SUBJECTO
FOEMININO



publice habendam
MAGNIFICUM DN. RECTOREM,

*Omnes omnium Ordinum Cives Academicos,
& quotquot huic Studio favent*


ea qua decet humanitate

invitat

GEORGIUS DETHARDING,

Med. D. & Anatomiae Profess. Ducal.

Publ. Ord.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi Senatus

Typographi,



Vod *Artes* suos habeant *osores*, Proverbium ab
Experientia prognatum cuius in memoriam
revocare poterit; sed de *Scientiis* itidem, &
quæ illas inter non minima est, de *Scientia*
Anatomica, quod suos habeat *Censores* ac
Contemptores, æque veritati ac experientia
quotidianæ consonum. Non digitum intendo ad *delicatiores*
aut *comptiores*, qui omnem squalorem averfantur, hinc Cada-
verum intuitum; etiamsi animus talium, manibus secanti-
um impurior, mereretur censuram atque balnea; nec *intelli-*
go scrupulosiores, qui sufficere volunt majorum in secando ca-
davera tyrannidem; mitto itidem *Empiricos* vel *Medicastro*s,
queis anatomici discursus fudes in oculis. Sunt in ordi-
ne Medicorum, qui nimis quam aperte suum erga *Anato-*
miam tædium suumque odium publicis scriptis testatum faci-
unt. Tales omni jure dixerim *Chymicos*, qui, uti se *Anatomi-*
cos per ignem gloriantur, *Anatomicos* per cultrum valde
averfantur, & quantum ad se, ex republica medica cum suis
minutiis volunt proscribendos. En! verba *Job. Baptist. HEL-*
MONTII, qui se *Chymia*, abstrusioris quoque, sponsum ven-
ditavit, quæ habentur in *Tractatu de ignor. action. regimi-*
ne. In corpore humano equidem exulta est *Anatome*, quasi morborum
omnium indicatrix indubia & sanatrix. Hactenus namque in ea
santopere est insudatum, ut verum Medicum *Galen*i sui oblita *Scholæ*
metiantur, qui in cadaverum sordibus plurimum digitaverit, quique
ea, quæ ab anterioribus hac in parte in superstitionem usque evulgata
extant, propria compererit novacula. Tantaque curiositatis superflus
error, ac insana doctrina fastus, ab ignorantia scholarum laudatus per
vertiginis spiritus, & scotomia Authorem, introductus censendus est.
Quippe cui gratum est quocumque titulo, tempus infrugiferè perda-
mus. Sufficiebat namque pro *Anatome*, situm, colligationem & usus
parti-

partium novisse : non autem tota vita cadaverum laniens , ad mi-
 nima vena ductus inveniendos , exercuisse . Siquidem ad inanem &
 sordidam jactantiam spectant , in qua pretiosissimum vitæ stadium in-
 frugiferè consumitur . Nec mitior illo est JOH. HISKIAS CARDI-
 LUCIUS , indefessus pro chymia regno ampliando Achilles ,
 quando in præfatione ad Hartmanni Praxin chymiatricam de se
 refert ; se adjecisse quoque aliqualem præcipuarum corporis partium
 anatomicam descriptionem , non tamen eum in finem , ut tyronibus
 famem caninam curiositatis anatomica excitaret , qualis hodie adeò
 invaluit , ut plurimi nil nisi sectionem cadaverum & scrupulosissimam
 minutissimarum fibrarum indagationem indefesse moliantur : sperantes ,
 se exinde in absolutissimos evasuros medicos , parum tamen etiam di-
 tissima anatomia cognitione in curandis magnis morbis præstant , imò
 sæpe minus quibusdam idiotis , qui uno vel altero arcano Chymico
 propriis laboribus potiti sunt . Talia enim ut plurimum licet ab in-
 doctissimo rustico exhibeantur , æque totum corpus pervadunt , & locum
 morbi reperire norunt , ac si ab absolutissimo anatomico propinata fu-
 issent ; imò nisi ipsa natura sedem morbi quærat , & assumpta medi-
 camina eò deducat , ars certe anatomica medicamen ad locum desti-
 natum mittere non poterit . Audiamus porro JACOBUM LE
 MORT ex chimia peritia & doctrina cæteroquin fulgidum . [La-
 bor assiduus , inquit , experimenta indefessa , & studia non intermissa
 requiruntur , ut quis rectè Medicinam excolat , quæ non in sola
 partium humani corporis mortua structura investiganda consistit ,
 sed multo magis in fluctuantium procellarum vivido statu rite
 perscrutando : alias enim eodem modo ageremus ac illi , qui
 ut motus & contentorum in flumine notitiam obtinerent , ri-
 pas , aggeres & fundum tantummodo diffoderent & inspicerent , ex-
 ficcato vel depleto in aestate fluvio . Unde non immerito à Celebris Me-
 dico frigida dicitur sapientia , quæ revera suos habet usus in Chirur-
 gia & Medicina , sed non tam divinos , uti quibusdam dissectoribus
 placet . Recentissimum his jungo feliciorēque Chymicum
 quam Medicum vel Theologum CHRISTIANUM DIPPELIUM ,
 qui se Democritum omni ex parte simulat ; utpote qui in disquisi-
 tione physico-Medicâ de vitæ animalis morbo & medicina statim sub
 limine sectionem corporum vult esse anatomiam superficiariam , quæ
 armata manu & oculo corporum lambat superficiem & vasorum con-
 tinen-

inentium nexum ac structuram miretur; quando Chymia sit Anatomia intimior, qua mediante igne cortice rumpat & sequestratis terreis & aquosis vinculis dotes corporum naturalium congenitas in apri-
 cum producat. Adeo Chymia amor teneros tantorum Virorum fascinat oculos, ut inuideant, quod una cum aliis mirari possent, & salva sua Diana linquere Anatomicis cultum suum, quo Physica, in tantum quoque Medicina litant! Quod si par pari referre Anatomici vellent, quam his ampla foret occasio ridendi ambages Chymicorum & prolixissimos processuum labores, quibus tandem, nec hoc infrequenter, ridiculus gignitur mus; haberent quod jure monerent de titulis & encomiis remediorum sub pomposis *Essentiarum, Tincturarum, Elixiriorum, Balsamorum, Crocorum, Spirituum, Clystorum, Magisteriorum* &c. titulis officinas & agros vexantium; quod nollent nec Paracelfo, nec hujus pullis assentiri, quibus nihil quidquam sapiat, nisi quod fumum & fumum spagyricum redolet. Sed male consuleretur Reipublicæ medicæ, cui, si verum fateri velimus, plura damna, cladesve majores bella intestina intulerunt, civibus in propria viscera maledicendi studio favientibus, & more imbellium fœminarum rixantibus, quam extus insultantium invidorum vicinorum, vel sub furo amicitia invadentium medicastro-
 rum turba. Peroranda potius erit Anatomia causa, quo constet, non sibi sed aliis redargutiones memoratas tribuendas esse. Habet Anatomicum studium cum omnibus studiis hoc commune, ut non simul & semel vel fuerit ad culmen evectum, vel evehi potuerit, sed collaborantibus tot nationum Viris, amore illius accensis, è puteo ignorantia protrahatur, ac quotidie magis in usum ac delicias physicas excolatur, poliat, ac perficiatur. Diligentiam hanc suam scriptis sibi invicem comprobant & orbi testantur Anatomici, cum aliquali etsi discrimine. Quæ enim Gallus detegit, vult nosse provinciam suam; quæ Anglus, itidem popularibus suis revelat, hinc uterq; idiomate patrio inventa typis divulgat: sed quæ Germanus, toti orbi literato destinata cupit, hinc sermone latino, eruditis familiari, præque barbaris idiomatibus omnibus retinendo, bona nova nuntiat, & ad sequendum ardore non reprehendendo invitat. In quo scribendi genere Italos, Svecos & Danos illum quoque imitari

4

tari eum animi gaudio observari poterit. Symbolam ergo suam quovis Anatomico peritiori conferente, crescat necesse est thesaurus notitiæ Anatomicæ, & resonent in Scholis Physico-Medicis de triumphis inscitæ reportatæ victoriæ. An abhinc virtutis tantæ comes est invidia, ut male audiat Anatomia Chymico-Medicis? Non habent sane hi, quod exprobrent; quorum Volumina aliquando nonnisi unum quoddam *magisterium* Lectori commendant, sed tanta laudum farragine circumseptum, ut, noverit ille modo nebulas phrasium verborumque dissipare, hîc longævitatatis fructus ab arbore vitæ certo certius decerptos se legere posse sibi persuasum habeat. Id quod non equidem Anatomici invident: mirantur magis rem in aprico positam, contrario plane ordine, ac qui se delectat, studio involvi ac abscondi. Sed fortean non abhinc est, quod vapulent; nimia exprobratur diligentia & hinc temporis jactura, quam in *minimis* detegendis, in *fibrillis* dissecandis, in *vasculis* reperiundis, in *nervulis* protrahendis collocant & faciunt. Ast! si non tædiavit Creatorem, in minimis talibus maxima reposuisse sapientiæ suæ tecmeria, quidni Anatomici se demergerent, hæc ut intelligant, aliisque ad mirandum DEum ostendant? Latitarent, nec adeo miraremur musculorum actiones sub contractione sua, nisi ex numero Anatomicorum STENONIUS fibrillarum motricium structuram incomparabili industria evolvisset; ignoraremus ossium sub continuo motu constantem in juncturis lubricitatem, nisi CLOPTON HAVERS vias olei medullaris singulari scrutinio detexisset; cœcutiremus adhucdum in negotio visus explicando, nisi ferries tunicarum oculum componentium ab industria anatomica fuisset explicita. An vero chymici subsistunt in superficialia mineralis regni contemplatione? Dilacerationes metallorum per ignem & menstrua, examina rigorosa mineralium è terræ cryptis allatorum, *fusionibus*, *sublimationibus*, *precipitationibus*, *coagulationibus*, & his iterum iterumve repetendis instituenda, longe aliud testantur & edocent, quam sit illis & minima in mineris detegendi & noscendi sacra fames. Consentient vero, quod confido, & quoad hoc momentum, dabuntque Anatomicis, quod studium ac gloriam divinam exaltandi ratio gravis

X 3

exigit;

5
exigit; haud vero dabunt, quod velint, ad suas *detectiones vel applicationes praxin Medicam formandam & instituendam*, sed in quo admodum deficiant. Nil conferre, ajunt, *notitiam de fibrarum motricium numero ad levissimum vulnus ocludendum: demonstrationem de cordis substantia, quod sit musculosa, ne gri quidem detrabere febrium insultibus; nervorum decursus magis patefactos dolorum tyrannidem nullo modo arcere vel lenire &c.* Verbo: *Anatomicos oblectari theoria fucosa, quae à Praxi rideatur, & jure sit spernenda &c.* Verum enim vero an chymicorum: *probatum est*, omnem fidem meretur, & de virtutibus remedium *ampulla*, *sesquipedaliaque verba* morbos domant & mortem arcent? Quod dentur non entia chymica è turba Chymicorum uno plures demonstrant: verum, qui defectus encomiorum vellet conscribere, herculeo labore majorem in se susciperet. Sed abripior quo non volo. Non negaverim reperiri in quorundam Anatomicorum libris consilia practica ad modulum novae inventionis inflexa, superstrui à praecocibus ingeniis methodos medendi tam generales quam speciales fundamento nondum satis fido nec demonstrationibus necessariis munito; sed sive Anatomici talia patrent, sive alii Practicorum ista moliantur, non citra fallaciam eamque satis palpabilem Anatomiae potest tribui, quod ad cultores ejus, quando ultra cultum sapere volunt, pertinet. Quam *Astronomia* in se manet scientia, scrutinio, fide & aestimio digna, licet *Astrologia* judiciaria suis principiis nixa mille mendacia stultae credulitati vendat; quam *Cosmographia* studium dicendum, ad cujus evolutionem se Viri Homero similes omnium consensu accingant, etiamsi naufragae illae illecti opes ac vitam perdiderint; quam *Magia naturalis* suas sustineat laudes, & mereatur de die in diem evolvi, etsi *Magia ceremonialis* velit efficaciae suae pondus ab illa derivare; & cum mihi cum Chymicis res sit, quamvis *Alchymia* inter scientias thesauro similes habenda, sint vel mille ejus dulcedine capti ad extremam insaniam & egestatem redacti; itidem de *Anatomia* jure suo affirmandum est, non in hanc culpam esse conferendam, quod practici vel praxin Medicam inconsulto manuque haud lota affectantes sua inventa extra sphaeram & circulos rapere, sibi que ex vana gloriae cupidine inde famam parare

6

parare annifi fuerint. Aut mutet talis interpres nomen Anatomici: aut mutet mores infidi Hermenevtæ, serio monet Anatomia. Manet, manebitq; in fecula, hæc studiorum differentia, ut longe alia coruscent facie, quando intra sua mœnia inclusa manent, ac quando invito rapiuntur ad alias scientias perficiendas. Nec omnia opera lustrans Sol æque lucida sua tela vibrat, quin varietas Horizontis ac objecta multum tenebræ immisceant, illaque ad suum genium moderent. Quod si animus esset ad vivum refecare originem medico-physicarum fallaciarum in applicandis Anatomix inventis nimis quam familiarium, haud multi laboris foret, monstrare, seductos se esse generalioribus ad medicinam collustrandam fausto omine facientibus repertis, ut porro ex minutioribus magna documenta morborum & curationum collegerint, aut rectius colligere allaboraverint, sed & se, & proh! Anatomiam contemptui exposuerint. Sed malo verbis Cel. STAHLII, quem chymici ut testem fide dignum haud repudiabunt, eadem exponere. Ille in Intimatione ad Lectiones pro vindictis theoria medica non modo in titulo monet Anatomia incongruam applicationem alienas opiniones induxisse, sed in nigro hæc verba addit: Anatomia curiosa immensum quantum lucis & demonstrationis attulit studio Physico, nec exiguum quoque illustrationis attulit Medico, præcipue Practico vulgato, ubi v. g. ex usu vero vasorum sangvisferorum, variae trice antiquæ circa selectum horum cadunt: Lympha & vasorum atque viscerum ipsi dicatorum presentia, usum, noxas obtingentes ad Physiologiam & Pathologiam quadante-nus utiliter manifestavit. Saliva & generationem & motum hinc inde non inutiliter indigitavit: Impulsus sanguinis arteriosi concursus pro tono partium conservando, adeoque sensu & motu adjuvando, commonstravit &c. Simulacque vero ad penetralia Cerebri evagavit Anatomia, consistentiam duplicem moleculas externe conformationis pervestigavit, quam nihil ibidem physica scientia, nedum Praxis Medica dignum invenit, licet immensus, fastidiosissimus, patientissimus susciperetur labor. Foret, ut adhuc excuterem argumentum antea allatum, à quo, ceu olim mœnia ariete prosternebantur, Anatomiam volunt concussam, dum vocant superficiariam corporis indaginem, quando chymia ad penetralia corporum descendat,

7
dat, & *congenitas* corporum naturalium *dotes* in apricum producat. Sed cum Chymici ipsi confiteri debeant, se in hoc rerum scrutinio Anatomicis palmam cedere, quandoquidem etiam si hi in minimas fibrillas corpus dividerint, linquant tamen & minimæ fibrillæ suam essentiam; quando econtra Chymici non servant eandem, sed ignis & salium medio destruant corpora longeque à priori diversam compagem afferant. Nec hodie quis affirmaverit, *salia* per incinerationem ex plantis prolecta in his extitisse, vel *congenitas* esse harum vires; *cinnabarim* in Antimonio latitasse, quæ accessu Mercurii ex illo surgit; *olea empyreumatica* fuisse elementa vegetabilium, quamvis hæc talia largiantur: tum quoque limites programmatis plura haud concedant, in allatis pro salvanda Anatomia subsisto. Habeo quoque, ut lætus referam, natam esse favente & jubente Clementia SERENISSIMI nostri PRINCIPIS ac DOMINI occasionem, publice instituendi Anatomiam in cadavere fœminino, nosque, aliosve de iis, quæ in nobis sunt, altius informandi. Quando itaque circa illud meus occupabitur labor, ut generatim quis partium sit situs, ac quod illarundem in salutem oeconomix animalis solenne officium, nullus non dubitofore, qui contra Chymicorum inculpationes pro Anatomix laudibus steterint, nec velint relegatam illam scientiam, quæ omnium optime, quibus artificii corpus humanum conflatum sit, doceat. Affluant ergo spectatum rogo, vel quorum *exemplum* alios, secum ut mirentur elegantissimam corporis fabricam, excitare potis est: vel quos *discendi libido*, quo sibi aliisque *subvenire medendo* valeant, plusquam calcaribus stimulat.

Neminem, spondeo, vacuum esse
recessurum.

DEMONSTRATIONES HABEBUNTUR HORA
SECUNDA POMERIDIANA.

P. P. d. Januar. Anno MDCCXXIII.

TESSERA ANATOMICA:

Plura dantur in Corpore humano miracula,
quam particula.



7

dat, & congenitas corporum naturalium do- cum produ-
 cat. Sed cum Chymici ipsi confiteri de- oc rerum
 scrutinio Anatomicis palmam cedere, m etiam si
 hi in minimas fibrillas corpus divise tamen &
 minimæ fibrillæ suam essentiam; qu Chymici non
 servant eandem, sed ignis & saliu quant corpora
 longeque à priori diversam com it. Nec hodie
 quis affirmaverit, *salia* per incin plantis prolecta
 in his extitisse, vel congenitas es; *cinnabarim* in
 Antimonio latitasse, quæ acces x illo furgit; *olea*
empyrevmatica fuisse elementa, quamvis hæc talia
 largiantur: tum quoque limi atis plura haud con-
 cedant, in allatis pro salvand ubisfisto. Habeo quo-
 que, ut lætus referam, avente & jubente Cle-
 mentia SERENISSIMI no IS ac DOMINI occasio-
 nem, publice instituen in in cadavere fœminino,
 nosque, aliosve de iis bis sunt, altius informan-
 di. Quando itaque c is occupabitur labor, ut ge-
 neratim quis parti ac quod illarundem in salu-
 tem oeconomix an officium, nullus non dubito
 fore, qui contra Ch culpationes pro Anatomix lau-
 dibus steterint, delegatam illam scientiam, quæ
 omnium optimi beneficiis corpus humanum confla-
 tum sit, doceat. Spectatum rogo, vel quorum exem-
 plum alios, fe ntur elegantissimam corporis fabri-
 cam, excita vel quos discendi libido, quo sibi aliisque
subvenit eant, plusquam calcaribus stimulat.
 , spondeo, vacuum esse
 recessurum.

D TIONES HABEBUNTUR HORA
 LUNDA POMERIDIANA.

Januar. Anno MDCCXXIII.

ERA ANATOMICA:

dantur in Corpore humano miracula,
 quam particulæ,

